

distantiam, vel propinquitatem, quia hæc in ipso Angelo, qui est purus spiritus fundari non potest, sed primo, et per se tendere ad conjunctionem virtutis activæ Angeli cum corpore, quod quia in aliqua distantia est, ex consequenti dicitur Angelus acquirere, vel perdere distantiam ratione corporis cui conjungitur. Neque fundamus istam independentiam Angeli a distantia, et spatio intermedio in eo solum quod fiat per voluntatem Angeli libere operantem tamquam a causa efficiente, et applicante, sed ex eo quod fit mediante contactu virtutis omnino spiritualis independentis ab omni commensuratione loci. Homo autem licet libere moveatur, tamen contactus ejus ad locum est omnino corporeus, quia mediante corpore movetur, et mediante quantitate ponitur in loco, et ita non est deobligatus a legibus loci, sed omnino illi subjectus, quia corporeus est, quod non currit in Angelo.

ARTICULUS V.

Utrum motus Angeli in spatio possit fieri in instanti?

I. Ut sensus difficultatis hujus percipiatur, advertendum est dupliciter posse controverti, an motus Angeli sit in instanti. Primo, loquendo de instanti non solum angelico, sed etiam nostro. Secundo, loquendo de instanti angelico tantum. Tunc instans in Angelis dicitur non solum indivisibile ex parte sui, sed etiam ex parte nostri, quando operatio Angeli, quæ secundum se indivisibilis est, non correspondet in sua duratione nisi tantum instanti nostri temporis: tunc autem instans angelicum disconvenit ab instanti nostro, quando non correspondet in sua duratione solum ins-

tanti nostri temporis, sed perseverat et durat etiam per partem temporis nostri. Itaque operationes Angeli, quibus motus ejus, et tempus, seu duratio numeratur, in se semper est indivisibilis prout ab Angelo procedit, nec a nostro tempore, et successione ejus dependet: sed tamen, quia coexistit duratio Angeli, et operationis ejus nostro tempori, quia concomitanter se habent istæ durationes, ideo potest coexistere duratio Angeli, et similiter duratio operationis edurationi temporis nostri, vel in multum, vel in parum: et aliquando potest duratio operationis angelicæ coexistere durationi unius tantum instantis nostri. Quando ergo inquiritur, an possit motus Angeli fieri in instanti, præcipue controvertitur hoc de instanti angelico, non de instanti nostri temporis: nec enim mensuratur operatio Angeli instanti nostro, sed sicut est supra omne tempus, ita super omnia instantia temporis nostri. Itaque sensus controversiæ est, utrum motus Angeli unica ejus operatione perfici possit, atque adeo unico instanti angelico, sive respondeat, et coexistat tempori nostro, sive non, sed solum instanti.

II. Secundo, advertendum est quod Angelus potest de novo poni in aliquo loco dupliciter. Uno modo per simplicem mutationem, alio modo per motum proprie dictum. Per simplicem mutationem idem est ac per unicam mutationem. Per motum proprie dictum idem est quod per transitum de uno loco ad alium constantem duplici mutatione, altera qua deseritur unus locus, altera qua acquiritur alius. Tunc erit unica, et simplex mutatio in acquisitione loci, si præsupponatur Angelus absolutus ab omni loco, et incipiat de novo esse in loco positiva, hoc solum fiet per simplicem, et unicam mutationem, quia acquire-

tur taliter locus de novo, quod non relinquatur locus aliquis positivus, sed a simplici negatione existendi in loco, de novo collocatur in loco. Tunc autem erit vere et proprie motus, quando est inter duo loca positiva, relinquendo unum, et acquirendo alium: tunc enim necessario intervenit duplex mutatio illius duplicis loci, scilicet desitio, seu derelictio unius, et acquisitio alterius.

III. De hoc ergo motu currit difficultas, utrum possit unico instanti, seu operatione angelica fieri, ita quod complectatur illud instans, et illa operatio tam desitionem unius loci, quam acquisitionem alterius. Et dato quod unica operatio non sufficiat complecti utramque mutationem utriusque loci, seu termini a quo, et ad quem, an saltem sola acquisitio termini ad quem, quæ unica operatione, instantique perficitur, habet vim motus, seu acquisitionis, et tendentiæ ad terminum: existentia vero in termino a quo non pertinet ad motum, sed ad quietem, quia tota duratione ante existentiam, et acquisitionem termini ad quem existit mobile in termino a quo. Et in hoc sensu ultimo controvertitur a D. Thoma in hac quæstione LIII, art. III.

VARIÆ SENTENTIÆ.

IV. Circa hoc punctum duæ sunt extremæ sententiæ, et una media.

Prima sententia affirmat Angelum posse moveri in instanti quocumque genere motus, sive sit continuus, sive discretus, sive transeat per medium, sive non. Ita p. Suarez lib. IV de Angelis, c. XX et XXI; Molina ad istam quæstionem LIII, art. III; Scotus, Gabriel, Gregorius, Major, Ægidius, et alii quos pro hac sententia citant Carmelitani Salmanticenses

tractatu de Angelis, disp. III, dub. VII et VIII.

Alia sententia est in alio extremo, quod Angelus neque in motu discreto, neque in continuo potest moveri in instanti. Ita D. Thomas in hac quæstione LIII, art. III, Cajetanus ibi, Nazarius, Bagnez, Zumel, Ripa, Ferrariensis III contra gentil. c. II, Navarrete contr. XLVIII, Salmanticenses citati et alii.

Tertia sententia media est aliquorum, qui dicunt posse Angelum moveri in instanti, motu discreto, et quando non transit per medium. Ita p. Arrubal hic disput. CLXII, capite II, qui pro se alios citat, videlicet Cajetanum Ferrariensem, Molinam, Valentiam; Vasquez autem hic disput. CXCVII, c. II sentit quod quando Angelus movetur per medium non potest moveri in instanti, sed in tempore, non tamen probat rationem S. Thomæ quando in articulo tertio id probat. De motu vero discreto Angeli quando non transit per medium, sentit capite quarto non fieri in instanti, sed componi ex pluribus instantibus tamquam ex partibus motus, non tamquam ex terminis extrinsecis ipsi motui, sicut in nostro motu terminus a quo et ad quem extrinsece se habent ad motum.

RESOLUTIO.

V. Sententia S. Thomæ a nobis eligenda est, quæ in articulo tertio hujus quæstionis LIII aperte explicatur, scilicet nullum motum Angeli sive continuum sive discretum posse esse in instanti, sed debere esse in tempore, ut patet in illis verbis: « Relinquitur quod motus Angeli sit in tempore: in continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus: in non continuo autem si motus sit non continuus. » Et

idem docet in I, dist. xxxvii, q. iv, art. iii et in iv, dist. xliv, qu. ii, art. iii, quæstiuncula iii et quodl. xi, art. iv et aliis locis.

Cæterum quia contingere potest quod Angelus ponatur in loco sine motu, et unico instanti, oportet distinguere prius istum modum instantaneum acquirendi locum, a modo acquirendi illum per motum, qui nunquam potest fieri in instanti, si verus motus est.

VI. Dico ergo primo: Angelus per simplicem mutationem, quæ motus non sit, potest acquirere locum, et applicare substantiam suam toti suæ sphæræ instantanea actione, non solum quæ sit instans angelicum, id est, unica, et indivisibilis operatio circa locum, sed etiam quæ correspondeat unico instanti nostri temporis.

Probatur hæc conclusio assignando casus, in quibus hoc potest fieri sine motu, et per unicam ac simplicem mutationem.

Primus est, quando a Deo ponitur Angelus subito, et instantaneè in aliquo loco ad quem antea non se movebat, v. g. si Angelus de novo creetur in aliquo loco, vel si reproducat, vel aliquid convertatur in ipsum per transubstantiationem, vel fiat præsens alicui loco per subitam positionem in illo, totum hoc fit a Deo sine motu in unico instanti, etiam correspondente instanti nostri temporis, quia creatio, et transubstantiatio sine motu sunt; et quia ponunt rem a se attactam in aliquo loco, consequenter in instanti tribuunt illum ipsi Angelo.

Secundus casus est: Supposito quod Angelus est in loco per contactum suæ virtutis, et per operationem suam, potest Angelus desistendo ab omni operatione manere sine loco positivo, et actuali, sicut D. Thomas admittit fieri posse in I, dist. xxxvii, quæst. iii, art. i ad iv et

nos supra diximus. In tali casu potest Angelus applicare se alicui loco quem voluerit ex non loco, seu ex non existentia in loco: ergo non duplici mutatione positiva, sed una. Patet consequentia, quia tunc datur mutatio ex parte loci qui acquiritur, quia de novo acquirit illum, cum antea non haberet, non tamen datur mutatio circa locum, qui relinquitur, quia non datur talis locus, cum supponatur Angelum in nullo loco positivo existere, sed abstinere se ab omni loco: ergo talis acquisitio loci non constat duplici mutatione: ergo ex hac parte non est motus, quia non est de positivo in positivum. Rursus illa acquisitio loci de novo potest fieri tota simul et non per partes, quia Angelus indivisibili operatione, et unica potest se applicare illi loco, non paulatim, et per partes, quia non commensuratur partibus spatii, sicut anima potest uniri in instanti omnibus partibus corporis, quando mortuus resurgit. Ergo etiam Angelus potest se applicare indivisibili, et unica operatione alicui passo; et sic ex parte termini, seu loci acquisiti erit illa actio instantanea: et cum ex parte termini a quo non habeat aliquam mutationem, quia non habet locum positivum quem relinquat, restat quod simpliciter illa mutatio in tali casu sit instantanea.

VII. Unde etiam intelligitur quod Angelus potest totam suam substantiam applicare, et diffundere per suam sphæram, sine ulla prorsus successione, sed in instanti, etiam respectu nostri temporis. Probat, quia ex parte suæ operationis potest Angelus unica operatione totam suam sphæram velle occupare, ut si ex tota sua sphæra velit inchoare actionem suam, sicut anima nostra unico instanti occupat totum corpus suum informando, sic Angelus agendo; et tota illa actio una est,

quia totum illud continetur intra sphæram virtutis Angeli, et operationis ejus, et sic potest unica, et indivisibili operatione ex parte sui totam illam sphæram occupare. Similiter potest id fieri per durationem correspondentem unico instanti nostri temporis, quia connaturaliter loquendo Angelus nullam habet resistantiam, neque aliud contrarium, quod per successivam mutationem tollendum sit: ergo potest unico instanti per totam sphæram diffundi, quantum ad acquisitionem ipsius loci: licet si derelinquat alium locum positivum, debet præsupponi alia mutatio, et aliud instans desertionis loci prioris cum instanti acquisitionis loci novi ut mox diceretur. Sed tamen ipsa acquisitio totius sphæræ, et occupatio illius non requirit tempus, sed in instanti potest id fieri. Quod explicatur exemplo lucis, quæ unico instanti diffunditur per sphæram totam luminosi, etiamsi id fiat per continuam multiplicationem lucis, eo quod lux non habet contrarium quod per successionem tollatur, sed solum tenebras; virtus autem, et operatio Angeli efficacior est ipsa luce, et minus illi resistit illi corpus quantum ad hoc quod est applicare se illi, imo ut supra diximus ex D. Thoma Angelus potest operari lucem in aliquo corpore: ergo tunc minus instantaneè poterit Angelus toti illi loco circumfundi, quam lux ipsa diffundi. Quod si Angelus velit paulatim, et continuo partibus suæ sphæræ se applicare, tunc ille motus continuus ex parte spatii, seu effectus quem in eo ponit, divisibilis erit, et successivus, poteritque correspondere durationis temporis nostri, sicut etiam anima potest crescente corpore per augmentum se unire successive, et juxta motum augmentationis. Alioquin si tali motu continuo moveretur Angelus

in instanti nostro, posset Angelus in eodem instanti simul esse in cælo, et in terra, et in aere intermedio, si quidem omnia illa unico instanti pertransiret, cum tamen, ut inquit Damascenus lib. ii de fide, c. iii: « Angelus non possit simul esse in cælo, et in terra: » ergo non potest unico instanti secundum motum continuum tangere omnia loca media, quæ sunt inter cælum, et terram: et eadem ratione non poterit pertransire motu continuo ea loca quæ sunt post suam sphæram ad collocandum se in alio, licet quando applicat se alicui corpori tamquam sphæræ in qua existit, possit totam illam sphæram suæ operationis unico instanti occupare, et attingere, non tamen de una sphæra ad aliam per intermedia corpora motu continuo pertransire unico instanti, et simul, quia hoc opponitur ipsi continuationi, et successioni.

VIII. Dico secundo: Si motu proprio, et vero moveatur Angelus, et non simplici, et unica mutatione, sive sit motus continuus, sive discretus, non potest moveri in instanti, sed necessario motus Angeli debet componi ex pluribus instantibus seu operationibus angelicis, et ubicumque sunt plura instantia, ibi est tempus. Hæc conclusio est quam præcipue intendit S. Thomas in hoc articulo tertio, ut patet ex calce corporis articuli, ubi advertit quod tempus illud quo mensuratur motus Angeli, sive sit continuum, sive discretum est aliud a tempore nostro, quia non dependet a motu cæli: ergo loquitur de tempore angelico, quod constat ex instantibus angelicis.

Ut autem ratio, et fundamentum D. Thomæ, quod comprehendit utrumque motum tam continuum, quam discretum, et profunde attingit naturam motus, in formam reducat, et explicetur, adverteo quod

cum motus Angeli suam propriam habeat mensuram (quæ tamen coexistens, et correspondens est tempori, et durationi nostræ), et illa componatur ex operationibus Angeli, earumque durationibus, sicut nostrum tempus ex partibus, oportet considerare non solum illam unicam operationem, et instans quo terminat motum, et acquirit terminum ad quem, sed etiam videndum est, utrum Angelus immediate ante illud instans moveatur, vel quiescat: si enim immediate ante moveatur, motus non fit unico instanti, si quidem immediate ante ultimum instans movebatur, et sic non in solo illo instanti datur motus, sed ante illud: idem est autem moveri in tempore, et non moveri in unico solo instanti. Si autem immediate ante illud instans ultimum acquisitivum termini quiescebat, vel illa quies mensurabatur alio instanti distincto, quod desinit per ultimum esse, et succedit aliud, et tunc datur tempus compositum ex illis duobus instantibus, quia in uno deserit terminum a quo, et in alio acquirit terminum ad quem, et consequenter desinitio in uno, et acquisitio in alio conflatur ex duplici instanti, atque adeo fit tempus angelicum in illo motu: motus enim constare debet ex derelictione unius termini, et acquisitione alterius. Si autem quies antecedens illud ultimum instans mensuratur tempore, ita ut toto tempore antecedente quiescat Angelus in illo loco, et in ultimo instanti illius temporis inveniatur in alio loco, sine dubio si hoc ita esset, motus ille diceretur esse in instanti, quia ex toto illo tempore, seu duratione solum ultimum instans deserivit pro mutatione, seu motu: quidquid autem est ante ultimum instans, servit pro quiete, et non derelinquitur ille terminus a quo in toto illo tempore, vel instanti anteceden-

ti, sed quiescit sub illo termino a quo; solum autem ultimum instans servit pro derelictione termini a quo, et acquisitione termini ad quem, supposito quod totum tempus antecedens ante ultimum instans est tempus quiescendi, non vero movendi, et derelinquendi terminum a quo: hoc autem D. Thomas reputat impossibile, et in hoc ponit totam vim suæ rationis, eo quod solum isto modo potest fingi quod motus sit in instanti: non sufficit autem ad motum distinguere in eodem instanti temporis duo instantia naturæ, ex quibus componatur motus, in quorum uno relinquat terminum a quo, et in altero acquirit terminum ad quem, utrumque tamen sit clausum intra idem instans durationis.

IX. Igitur S. Thomas ad hoc punctum reducit suam probationem, ut ostendat impossibile esse, quod aliquid quiescat sub aliquo termino a quo, seu sub aliqua forma in tota duratione alicujus temporis, et in ultimo instanti claudente, et terminante illud tempus aliter se habeat seu moveatur, loquendo naturaliter seu conformiter ad naturam motus, et mobilis.

Ratio autem hujus est, quia instans designat factum esse, et non solum fieri rei: ergo si toto tempore antecedente non datur fieri, et moveri, sed quiescere, in ultimo autem instanti datur mutatio ad alium terminum: ergo in illo instanti dabitur factum esse sine fieri antecedente, aut erit simul in eodem instanti fieri, et factum esse ex natura rei, si ex ipsa natura non postulat quod antecederet fieri. Ubi autem in eodem instanti ex natura rei est simul fieri, et factum esse, tollitur successio ex ipsa natura actionis, et consequenter non est motus de positivo in positivum, sed simplex mutatio de non esse ad

esse. Quare impossibile est quod motus detur in instanti, si toto tempore, et duratione antecedente quiescit mobile sub aliqua forma, seu termino, quia non potest aliqua actio ex natura sua in eodem instanti conjungere fieri, et factum esse, nisi ex non esse ad esse procedat et successionem tollat, quia pertinet ad eandem formam, quæ in instanti fit, per seipsam tollere negationem oppositam, non autem potest sine diversa mutatione tollere oppositam formam positivam; et ideo non potest toto tempore antecedente quiescere sub una forma opposita, et in ultimo instanti conjungere destructionem illius, et positionem alterius sibi contrariæ aut a se distantis. Secus est si toto tempore antecedente moveatur, et non quiescit, quia quamdiu movetur, est mobile sub alia, et alia dispositione: hoc enim essentialiter est moveri, sicut e contra quiescere est habere se nunc sicut prius. Unde potest id quod movetur manere in ultimo instanti in aliqua forma, in qua non erat prius, quia prius non quiescebat, sed movebatur ad illam. Quod si quiescat, et non sit in motu, et fieri, seu tendentia ad oppositam formam, non potest intelligi, quod in ultimo instanti detur mutatum esse, seu terminus motus, nisi sit aliqua mutatio instantanea producens terminum, non ex aliquo contrario, neque ex aliqua distantia, seu latitudine vincenda, sed pure ex non esse, quia ad tollendum non esse formæ, sufficit ipsa positio formæ, et non requiritur alia mutatio, ad tollendam vero formam oppositam, requiritur ejus mutatio, non quies sub illa. Et quidem juxta exigentiam causarum naturalium fieri aliter non potest, quia dependent ab accidentibus, et dispositionibus contrariis, vel ex aliqua distantia loci, vel latitudine vincenda, sicut si ge-

neratio substantialis fit in instanti, præsupponit antecederet alterationem sub qua aliter, et aliter se habet forma præcedens, et passum est in moveri, et transitu, non in puro quiescere etiam respectu ipsius generationis. Et similiter si luminosum illuminat, ubi ante non illuminabat, supponit præcessisse aliquem motum ipsius luminosi, vel ejus generationem ad hoc ut illuminet, ubi ante non illuminabat, et sic nunquam est in pura quiete mobile ante ultimum instans mutationis instantaneæ: sed, ut inquit D. Thomas in hoc articulo tertio mutationes istæ instantaneæ semper sunt terminus alicujus motus continui præcedentis. Deus tamen, qui est supra omnes leges causarum naturalium potest ex puro non esse, et ex pura quiete mobilis sub aliqua forma, nulla alteratione, motu, aut dispositione præcedente novam formam introducere per mutationem pure instantaneam, sine alteratione aut dispositione antecedente.

X. Hanc ergo doctrinam applicando motibus angelicis, oportet diverso modo philosophari circa motum illum continuum, et circa discretum. Nam licet uterque motus conveniat in hoc, quod non possit fieri in unico instanti, id tamen multo fortius apparet in motu continuo, quam in discreto: nam in motu continuo non solum obstat pluralitas instantium seu operationum ex parte ipsius Angeli, et ordo inter terminum a quo derelictum, et terminum ad quem acquisitum, sed etiam ordo prioris, et posterioris ex parte effectuum, quos ponit motus continuus Angeli in ipso spatio, seu corpore, per quod transit. Ut enim dicit S. Thomas in hac quæstione LIII, art. II, si motus sit continuus, non potest Angelus moveri de uno extremo in alterum quin transeat per medium, quia, ut dicitur in

sexto physicorum medium est in quod prius venit quod continue mutatur, quam in quod mutatur ultimum: ordo enim prioris, et posterioris in motu continuo est secundum ordinem prioris, et posterioris in magnitudine, ut dicitur in quarto physicorum. Itaque quando Angelus movetur motu continuo, vel omnia loca quæ acquirunt partialiter usque ad ultimum unica operatione formali tangit, quæ virtualiter, et ratione effectuum æquivalet pluribus, vel diversis operationibus, quæ formaliter diversæ sunt, licet coordinatæ ad unum finem. Si hoc secundum, manifeste sunt plura instantia, non unicum in toto illo motu; et sic non fit motus in instanti, sed in pluribus instantibus, seu operationibus, quibus continuum illud tempus constat, continuitate coordinationis, et divisibilitate effectuum. Si est unica operatio et instans, licet virtualiter multiplex in acquisitione terminorum, tamen ad minus hoc instans, et operatio acquisitiva supponit aliud instans, quo primus terminus a quo est relictus, et cum illo motus componitur ex pluribus instantibus, ut de motu discreto dicemus.

XI. Loquendo autem de motu discreto, invenitur in Angelo quod non fiat unico instanti, sed pluribus, quia motus ille perficitur per hoc quod Angelus deserat unum terminum in quo existebat, seu operabatur, et sine aliquo transitu per media, et contactu ad illa inchoet aliam operationem, seu instans, quod sit in alio passo distante: ergo constat iste motus duplici instanti, uno derelinquendi, et altero acquirendi, et consequenter non fit talis motus in unico instanti, sed pluribus, et quod talis motus componatur ex illo duplici instanti, non autem constet solum ex altero eorum, nempe ex acquisitione termini

ad quem, constat manifeste, quia acquisitio termini in tali motu dependet necessario ex derelictione termini a quo: ergo successio istorum duorum instantium, quorum unum acquirunt terminum, et aliud derelinquit, habent inter se aliquem ordinem, et connexionem, non simul coexistentem, quia unus terminus non est simul cum alio: ergo succedentem: ergo talis ordo instantium constituit tempus, quia constituit ordinem successivum, et constat ex pluribus instantibus succedentibus tamquam ex partibus, licet inter illa duo instantia non detur medium, quo fiat transitus de uno ad aliud, sicut invenitur in motu continuo; datur tamen pluralitas instantium sibi ordinate succedentium, quod pertinet ad motum discretum, et ideo non perficitur unico instanti, neque operatione angelica, sed pluribus.

XII. Dices: In tota illa duratione, seu instanti, quo Angelus est in termino a quo, quiescit sub tali termino, seu forma, quia non movetur ab illo termino, nec transit per medium ad acquirendum alium, et tamen in instanti immediato invenitur Angelus in alio loco: ergo transit de quiete ad motum unico instanti. Patet consequentia, quia tota illa duratione, seu instanti quo est in termino a quo, quiescit, et in instanti in illo quo est in termino ad quem, aliter se habet, quia in alio loco existit: ergo in isto instanti in quo est in termino ad quem transiit de quiete ad motum: ergo movetur unico instanti, destruiturque ratio D. Thomæ quod non possit aliquid mobile toto tempore quiescere sub aliqua forma, et in ultimo instanti illius esse sub alia, si quidem in hoc motu discreto toto uno instanti, seu duratione antecedenti quiescit sub una forma, seu in uno

loco, et in alia instanti immediato invenitur sub alia.

Respondetur negando antecedens, nempe quod in motu discreto quiescat Angelus duratione tota illius instantis sub una forma. Et cum dicitur quod in illo instanti non movetur ab illo loco, distingo; non movetur complete, et terminative ita quod acquirat in illo instanti terminum ad quem, concedo; non movetur inchoative, et desinendo esse sub termino a quo, nego. In illo enim instanti non solum est Angelus in illo loco, sed etiam desinit esse in illo, quia illud instans desinit per ultimum sui esse. Quando autem aliquod subjectum est sub aliqua forma, vel termino, non solum existendo, sed etiam desinendo esse in illo, utique non quiescit sub tali forma, si quidem non eodem modo se habet, quia est, et desinit esse, cum desinat per ultimum esse. Hoc autem non est eodem modo se habere, et consequenter non quiescere; et ideo illa desitio prioris instantis per ultimum esse, licet in se considerata non sit motus, est tamen quædam inchoatio motus, et veluti dispositio removens terminum oppositum, et impediens transitum ad alium locum; et consequenter prout est desitio ultima illius instantis, non est quiescens mobile sub illa forma, sed inchoans et disponens motum ex illa, quatenus est derelictio talis termini. Quod si desineret esse sub illa forma per appositionem novi termini, ita quod primum esse illius novi termini esset primum non esse termini præcedentis, tunc motus ille diceretur fieri unico instanti, quia idem instans esset inchoatio unius, et desitio alterius, primum esse illius qui de novo acquiritur, et desitio alterius qui præcedit. Cæterum respectu formæ positivæ tenentis se ex parte termini a quo, quæ debet desinere,

necessarium est, quod toto tempore antecedente non quiescat, sed disponatur, et tendat, et ordinetur ad inchoationem illius novi termini, si juxta modum, et dispositionem causarum naturalium producendus sit, ut supra ponderavimus. At vero quia in motu discreto Angeli desitio prioris instantis est per ultimum esse illius, et inchoatio alterius instantis per primum esse sui, non autem illud secundum instans incipiens est primum non esse alterius; ideo motus ille temporis discreti, qui constat ex desitione unius instantis, et inchoatione alterius, non dicitur unico instanti fieri, sed pluribus constare, qui se habent sicut partes illius motus, non termini extrinseci. Vasquez autem qui existimat primum esse unius instantis angelici esse primum non esse antecedentis; ideo salvat motum discretum esse in tempore, quia in quolibet loco in quo movetur Angelus discrete, existimat debere quiescere per tempus; et sic in quovis loco, in quo Angelus desinit esse per primum non esse, necessario fuit per tempus, ac proinde per tempus quievit, et sic ponit in tempore discreto plures mutationes, non unum motum, ut affirmat in hac disputatione cxcvii, c. iv. Hoc tamen fundamentum ejus non admittimus, quod non possit aliquid desinere per ultimum esse, sed solum per primum non esse, ut tractat disp. cccxix, c. x, et nos infra contra ipsum ostendemus disp. xxiv, art. i.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIII. Primo arguitur contra illam propositionem D. Thomæ in qua totum ejus fundamentum innititur, videlicet quod non possit aliquid toto tempore quiescere sub una forma, et in ultimo instanti esse sub